

No. 393<sup>b</sup>. 1224.

*Erzbischof Albrecht von Magdeburg nimmt das Kreuzkloster mit Personen und Gütern in Schutz.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Albertus dei gratia sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus. Ex officio regiminis pastoralis affectu speciali et cura propensiori tenemur prospicere locis illis, ubi a religiosis eorum cultoribus consueverunt ferventiora flagrare studia karitatis, quae nobis in conspectu altissimi tam in futuro quam in praesenti plurimum posse credimus suffragari. Inde est quod locum illum prope Misnam supra ripam Albiae in decursu ipsius situm, quem ad honorem sanctae et invictoriosissimae crucis perpetuae virgini dei genetrici Mariae donavit illustris memoriae dominus Theodericus quondam marchio Misnensis et Orientalis et in eo claustrum sanctimonialium ordinis Cisterciensis instituit, quod de quibusdam bonis suis ex consensu heredum suorum dotavit, super his omnibus domini Brunonis Misnensis episcopi diocesani accedente consensu, nos quoque auctoritate metropolitana sub protectione nostra suscipimus cum personis omnibus ad ipsum spectantibus ac bonis sibi collatis et deinceps conferendis acquisitis et acquirendis, auctoritate dei omnipotentis et nostra sub banni nostri interminatione et anathemate firmiter inhibentes, ne quis locum et claustrum praefatum in personis aut rebus suis occasione qualibet indebite molestare praesumat, vice versa nobis eiusdem ecclesiae plena fraternitate concessa, ut memoriam nostri specialem in vita pariter et in morte sanctimoniales ibidem deo servientes teneantur habere. Testes huius rei sunt Wilbrandus praepositus Hildesemensis, Henricus praepositus de Mildense, Walterus canonicus Misnensis, Hermannus camerarius de Gutstein, Godefridus miles de Dorddinge, Henricus Rupus de Geukenstein. Datum anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXIII<sup>o</sup>, anno vero pontificatus nostri . .

Copialb. fol. 8.

No. 397<sup>b</sup>. 1227.

*Landgraf Ludwig von Thüringen in Vormundschaft des Markgrafen Heinrich erkundet, dass Adela von Wildberc ein Allod von vier Hufen dem Kreuzkloster zugewendet hat und dass in seiner Gegenwart durch genannte Personen ein Verzicht auf alle Ansprüche an dieses Gut verlautbart worden ist.*

L. dei gratia Thuring. lantgravius, Sax. comes palatinus et tutor marchiae Misnensis et Orientalis. Quoniam ea quae geruntur in tempore labuntur in tempore et a lubrica hominum excidunt memoria, necesse est ut ea quae fiunt scripturae notitia firmentur. Inde est quod nosse volumus universos tam futuros quam praesentes, quod Adela de Wiltberc allodium quatuor mansorum cum omni utilitate in eadem villa situm ecclesiae sanctae Crucis apud Misnam pro remedio animae suae rite et